



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod voluntas humana inefficax sit ad bona opera sine divina gratia, 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

possum, nisi tua potentia me confortet, & quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cœlo & in terra. Et quod volo, & possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Et si etiam sciam; quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet vera sapientia tua.

4. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, Domine uniuersorum, principatum tenens omnis carnis; & quæcunque vis, facis, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus invocatum est nomen tuum: ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum. Et quis est homo natus de muliere, qui vivat & non videat mortem, & eripiat animam suam de manu inferni? nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitæ, per quem omnia vivunt.

C A P V T X X V.

Quod voluntas humana inefficax sit ad bona opera, sine divina gratia.

ETenim jam jam tibi confessus sum, laus vitæ meæ, Domine Deus meus, virtus salutis meæ. Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retro, & non ante: & quod credebam consequi, magis elongatum est à me. Sic per multa similia vires meas probas. Cognosco

nunc quia illuminasti me, quoniam quod magis credidi posse per me, minus semper potui. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas; ad erat facultas, non aderat voluntas: quoniam de meis viribus confidebam,

2. Nunc autem confitebor tibi Domine Deus meus, Pater cæli & terræ, quia non fortitudine sua roborabitur vir, ut gloriatur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Non enim est hominis, velle quod possit; aut posse quod velit, vel scire quod velit, & possit: sed potius à te gressus hominis diriguntur, illorum (inquam) qui non à se, sed à te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque per viscera misericordiæ tuæ, ut velis Domine salvare quod creasti: quoniam si vis, potes nos salvare: & in tua voluntate virtus est nostræ salutis.

C A P V T XXVI.

De antiquis beneficiis Dei.

1. **R**ecordare misericordiæ tuæ antiquæ, qua nos à principio in benedictionibus tuæ dulcedinis prævenisti. Antequam enim nascerer ego, filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab uberibus matris meæ, tu prævenisti; preparans mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero, novisti me: & antequam exirem de vulva, quicquid tibi placuit, præordinasti de me. Quæ & qualia sunt in libro tuo scripta de me, in secreto